Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift



et saturnum filiorum occisorem colere nolo in infamiam generositatis incurro. et quia unum deum et verum qui in celis regnat adoro et veneror: suppliciis me macerandum esse minaris. sed timendi hec non abnuimus non recusamus penas: non negamus Christum filium dei ad hoc descendisse ad terras. ut a terris homo ad celos possit ascendere. Ideo istas pompas omnes quas colitis sine causa pulsans pedibus meis deo me omnipotenti subieci.

Tunc fabianus iussit ante pedes eius carbones ardentes effundi. et ait ad eum. Elige tibi unum e duobus: aut thura in istis carbonibus adice. aut pedibus super eos nudis incede. Tunc beatus tiburtius faciens signum crucis constanter nuda super ingressus est planta. et cepit prefecto dicere. Depone infidelitatem tuam. et disce hunc solum deum quem confitemur creaturis omnibus dominari. Mitte tu si potes manum in nomine iovis tui in calidam aquam: et si potest iovis tuus faciat te non sentire furorem ardoris. Michi in nomine domini mei ihesu christi videtur quod super flores roseos gradiar. quia creatura ipsa creatori suo famulatur impio. Fabianus dixit. Quis ignorat magicam artem vos docuisse Christum vestrum? Tiburtius respondit. Obmutesce infelix. et noli auribus meis hanc iniuriam facere. ut audiam te rabido ore latrantem mellifluum nomen et sanctum. Tunc iratus fabianus dictavit sententiam dicens. Blasphemator deorum et reus atrocium iniuriarum gladio animadvertatur. Ductus est autem in via lavicana tercio miliario ab urbe. et effundens orationem ad dominum. uno ictu gladii liberatus abscessit. et in eodem loco apparens cuidam christiano sepultus est. in quo loco multa beneficia semper prestat Christus ad laudem nominis sui usque ad presentem diem.

Eodem die Susanne virginis et martiris.

Temporibus diocletiani et maximiani augustorum. fuit quidam presbyter nomine gavinius de urbe roma frater uterinus gaii episcopi urbis rome. in divinis libris amator tam sapientie mundanarum litterarum. (erudit⁹) Hic frequens tractabat cum gaio germano. ita ut libros tractatione faceret contra paganos. Erat itaque eruditus in omni mundane artis studio litterarum. Qui tam et nobili ortus progenie, famatissime cognoscebatur. eo quod esset de genere diocletiani augusti. Nam et gaius ita vulgabatur. Hic gavinius presbyter dum haberet filiam unicam dulcissimam atque pulcherrimam. quam nutrierat in eruditione litterarum mundane artis: similiter et divinis libris imbuerat. facta est huius ingenii patris sui. Audiens hec diocletianus de puella. quia et pulcritudine et sapientia esset formosa. misit ad gavinium et peciit eam augusto maximiano filio eius in coniugium. Et mittens (misit) ad gavinium quendam qui ex genere erat eius consobrinum suum nomine claudium ex affectu generositatis: ut omnia pacifice optineret a gavinio presbytero. Veniens autem claudius ad gavinium sic eum alloquitur dicens. Nisi dies festus occurrisset in preceptis dominorum nostrorum augustorum. ut me ad vos caritate dirigerent. tamen vos non me debuistis longe fieri parentum suam-